

## **De fluxu haemorrhoidali dissertatio inauguralis ... / [Joseph Turner].**

### **Contributors**

Turner, Joseph Aaron.  
University of Edinburgh.

### **Publication/Creation**

Edinburgi : Balfour et Smellie, 1772.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/eewbtbc5>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

52252/P

DE  
FLUXU HÆMORRHOIDALI  
DISSERTATIO INAUGURALIS.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.  
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,  
Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,  
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subijcit

JOSEPHUS TURNER,  
BRITANNUS,

Ad diem 12. Junii, hora locoque solitis.


EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,  
Academiae Typographos.

---

M, DCC, LXXII.





Digitized by the Internet Archive  
in 2018 with funding from  
Wellcome Library

316 861

Reverendo Viro,

EBENEZERO RADCLIFE,

Apud Walthamstow, prope Londinum,

Evangelii Ministro :

Nec non et

JOANNI GREGORY, M. D.

In Academia Edinburgena,

Medicinae practicae Professori,

Hocce Opusculum, D. D. D.

JOSEPHUS TURNER.



For Mr Legestwood  
from his humble servant  
Joseph Turner.

To Mr Legestwood  
from his called  
servant Joseph Turner

D E

FLUXU HÆMORRHOIDALI,

DISSERTATIO INAUGURALIS.

**I**NTER varia morborum genera, quibus vexatur humanum corpus, vix ullus est morbus qui animos medicorum in tam diversas sententias detorserit quam fluxus hæmorrhoidalis.

Si igitur in maxime oppositis opinionibus meipsum ab errore extricare nequeam, propter difficultatem in tantis tenebris obvolutam veritatem discernendi, veniam aliquam a candido iudice me impetraturum spero.

**MORBI DEFINITIO.** Sanguinis ex recto intestino, nullis tumoribus apparentibus, vel a tuberculis lividis circa anum, fluxus; lumborum dolore, sensu ponderis in podice, alvoque constipata, plerumque prægressis.

A

DIAG-



DIAGNOSIS. Inter illum et dysenteriam facilissima est distinctio; quoniam hanc febris, illum nunquam, vel saltem non necessario, comitatur; in hac alvus laxissima, in illo plerumque adstrictissima; in una foecibus intermixtus est sanguis, in altero post foeces effunditur.

Ab hepatirrhoea sejungitur hic fluxus, nulla abdominalium viscerum inflammatione praecedens, et rarius speciem purulentam in excrementis ostendens, pigroque ventre conjunctus; dum omnia in hepatirrhoea contraria se habent.

HISTORIA MORBI. Aliquando sine ullis praecedentibus symptomatibus, nisi constipatione, exorditur hoc malum: Alias capitis gravitas vel dolor; vertigo; in diversis abdominis partibus angores, nempe, secundum Junker, ventriculo, intestinis tenuibus et crassis, hepate, mesenterio, hypochondriis, lumbis, et regione ossis sacri; extimarum partium cum levi horripilatione constrictio, vasorumque in iis subsidentia; pulsus durior et constrictior; oris fauciumque siccitas; urina parca, et frequentius pallida; sensus ponderis in podice ad perinaeum se extendens; ventriculi imbecillitas; in imo ventre flatulentia; frequens ad meiendum et egerendam alvum stimulus cum mucii exclusione; senioribus magisque



que imbecillis ani procidentia; in regione versus pubem, in cervice vesicae urinariae, et secundum cursum urethrae, cruciatus; nonnunquam etiam, quasi palus in recto infixus esset, subita perceptio: Omnia haec symptomata, vel pars tantum, majori vel gradu minori, ut gravior vel levior est morbus, ei se associant vel praecedunt. Postquam excrementorum pars solummodo, vel omnia, dejectiuntur, plerumque stillat plenove rivo effluit sanguis, intereaque paulisper symptomata alia mitigantur; et cum in magna copia sanguis effundatur, nisi retro prospiciat, repentino alvum laxatam esse putet aegrotus. Hoc potest in causa esse quod morbus saepissime non observatur cum revera occurrat, et, usu contractus longiore, curatu difficilior et forsitan non sine damno. Haemorrhagia desinente, tanquam aliquid in ano inhaeret, non semper vero, sentitur, et, ut summas vires intenderet, sed heu! non fausto eventu stimulat: Omnis etenim nifus, qui ad removendum malum impenditur, e contrario tantum auget, et post vana conamina morbo aggravato cedere cogitur miser.

Quantitas materiei evacuatae varia esse solet, et tempus quoque evacuationis varium. Nonnunquam ad libras aliquot, sed rarius, extenditur, ~~non~~ saepe unciam unam vel duas <sup>non</sup> excedit:

Quandoque



Quandoque ad integrum mensem durat; quandoque annuo spatio, quandoque etiam menstruo recurrit: Vix unquam vero exactas periodos, nisi in mulieribus quibus fluxus menstruus supprimatur, et hoc minus saepe observat.

RATIO SYMPTOMATUM. In visceribus abdominis dolores Stahliani oriri dicunt ex sanguine in iis congesto. Dubium mihi apparet autem annon omnia haec symptomata saepius ex alvo adstricta, praecipue in hoc morbo praevalente, originem ducant. Notum est enim otiosos, qui ante alios haemorrhoidi sunt obnoxii, etiam si nunquam hanc sunt experti, similibus cruciatibus vexari. Aer in intestinis, per totum fere ambitum abdominis extensus, inclusus, nimia distensione spasmos in his inducens, dolores, viscerum ipsorum subjacentium affectiones eminentes, excitare potest. Vesicae urinariae affectus ex irritatione in partibus vicinis sanguinem ad cervicem vesicae acceleranti, et inflammationem hoc modo ibi inducenti, forsan pendeat; et secundum urethrae cursum dolor defertur, propter continuationem membranae interioris vesicae per urethram, vel ad sympathiam nervosam inexplicabilem referendus est. Omnium aliorum symptomatum,



matum, aut ex plethora generali vel locali determinatione ratio est petenda.

SUBJECTI. Quae plerumque homines huic morbo obnoxios reddunt sunt plethora alvique adstrictio: Qui vitam sedentariam trahunt, luxuriosiusque vivunt, huic exponuntur. Haemorrhagiae in juventute ad hunc in senectute ducunt. Calculosi, arthritici, hypochondriaci, et melancholici, mulieres utero gerentes, aut quibus fluxus menstruus ab ulla causa impeditur, aut prorsus cessavit, eidem objiciuntur: Et in omni fere aetate, nisi infantia, in qua, testante De Haen, nunquam occurrit, si causis occasionalibus subjiciantur, praecipue alvo diu constipatae, evenire solet.

CAUSÆ REMOTÆ SUNT, IMO, Quaecunque sanguinis impetum ad rectum promovent, omnia stimulantia, in hac via foeces durae agant, aloe vel allium, quae singularem ad haemorrhoidem provocandam habent effectum; omnia cathartica vel enemata vehementiora; violentae abdominis concussiones, saltando, currendo, vel equitando; partus difficilis; calculosae in vesica concretionem; cystirrhagia, ischuria, vel diabetes; aut edendo aut bibendo intemperantia; subiti mentis motus, ut terror, vel furor repressus; prava indecensque consuetudo cloacae  
longius



longius infedendi, cui studiosi faepissime sunt dediti, exonerationem ventris etiam a literis separare nolentes. Ill. De Haen arbitratur in hoc casu fluxum deberi vapori a foecibus exhalanti aliquo modo ani sphincterem relaxanti; sed, ad nixum corporisque positionem sanguinem in has partes advocantes potius referendum esse, mea sententia apparet.

2do, Quae sanguinem nimis dilutum efficiunt; in hoc modo scorbutus vel alii morbi putridi agere possunt.

3tio, Quaecunque, circulationem sanguinis per venas portarum difficiliorem reddentia, ut viscera abdominalia schirrosa et tumefacta; vel internas venas haemorrhoidales comprimantia, ut calculus vesicae urinariae, uterus gravidus, et foeces durae; sanguinem in parte congerunt, huic morbo occasionem dent.

#### DE NATURA ET CAUSA PROXIMA FLUXUS HÆMORRHOIDALIS.

De haemorrhoidis natura duae sunt opiniones. Ambae <sup>amores</sup> ~~mariticas~~ sanguinem fundentes agnoscunt; sed de harum formatione valde discordant. Una, quae



quae ab Hippocrate usque ad haec tempora maxime praevaluit, non nisi venas varicosas esse posuit; altera, recentior, sanguinem in telam cellulosam effusum eas constituere, pro vero habuit. Nec defuncta facta ex anatomia deprompta in utramvis sententiam suffragandam. Ad illam comprobendam Vesalius dedit exemplum cujusdam hominis ex nigro arquato jecorisque mira duritie defuncti, sanguinis fluxu ex ano dum vivebat vexati, in quo venae portarum ramum sub coli intestini sine et tota recti longitudine, mesenterio ductum, pollicem fere crassum, et sanguine turgentem, conterminis venae cavae ramis nihil prorsus immutatis, invenit.

Morgagnus quoque ait, “Quantum eae venae se expandant in viro quodam animadverti, bono corporis habitu et ad plenum accedente, quem vulnere sub axilla mortuum Bononiae secui; huic extremum intestinum quod haemorrhoidibus obnoxium fuisse apparebat, cum esset intus varicosis venarum nodis inaequale; majorem ex his perattente inspiciens miratus sum, cum ipso, qui non modico alioquin distendebatur sanguinis grumo, non nisi tenuissima sanguifera vascula communicare, ut evidens esset aliquam perexilem venam in eam fuisse amplitudinem distentam.”

Contra,



Contra, ad posteriorem opinionem suffulciendam, Cl. Monro sanguinem intra tumores effusum, nullis venis varicosis apparentibus, invenit; ideoque hanc effusionem causam esse tumorum censet.

Sed, pace tantorum in medicina nominum, varicem vel effusionem solummodo tales tumores componere mihi haud satis constat. Ne quicquid simile in aliis corporis partibus est videndum. In uno alterove casu praeterea venae distensae vel sanguinis effusi cavitas semper appareret; sine dolore tactui cedere oportet <sup>tumorem</sup> ~~mariscas~~; aliter autem haec quam maxime eveniunt. Sic ratiocinatur Sauvagesius: "Ex eo quod solitae (mariscae nempe quo nomine hi tumores vel tuberculae gaudent) sint ac rubrae, plurimi eas inter vasorum hujusce partis aneurismaticos aut varicosos tumores recensent, verum nulla in iis resectis sensibilibus observatur cavitas; immo compressae non magis cedant quam phlegmone, si sint infarctae; adeoque in hanc sententiam vix devenire possum." Exemplum ex anatome desumptum, me iudice, nihil probant. Sic vena varicosa, Vesalio relata, non dicitur tumorem ex lateribus pendentem haemorrhoidali similem componere; nam, per totam  
recti



recti longitudinem, et partem coli, exporrecta est: Eundem igitur inter intestini tunicas, ut antea, tenere locum, non possumus non credere. Neque satis clare Morgagni exemplum huic sententiae allucet; quum etenim multos nodos venarum varicosarum meminit, una fuit tantum vena cujus cavitas aucta ejus attentionem advocavit: Et idcirco arbitrarer, quod, unam venam ampliatam inveniens, tumores, quos vocat nodos, similiter varicosas esse venas statuit. Si autem ita res se habuisset, certe cavitatem notabilem in illis invenisset. Ad haec addendum, quod, si in fine venae varicosae mariscam exploravisset, hanc ipsam pro vena elongata habere posset. Sed, ut sanguis congestus, vel vasa in parte aliqua rupta, prior tumoribus inflammatoriis, haec excrescentiis carnosis, ansam praebeat; illic ubi venae adsunt distensae, huic congestioni et ruptioni faventes, facilius interesse tales tumores crederemus.

Quod ad sanguinis in telam cellulosam effusionem hos tumores efformantem opponi potest, illam accidere post horum formationem haud incredibile, ut in aliis tumoribus nonnunquam eveniat. Quomodo aliter Sauvagesium eos sine cavitate perspexisse explicandum, nisi aperire eos antequam intra effusus est sanguis ponamus.



Facilius quoque in hanc sententiam perducor, quoniam supra dicta effusio in cadaveribus tantum a doctissimo praeceptore observata est, et hanc, ut in aliis morbis, prope mortem occurrere, haud veritati absolum. Sanguinem tumorem efflare, posteaque resorberi, minime liquet. Ne dicam quod in hoc casu cystidem sanguis sibi adscisceretur, ex qua, ut lacteorum vasorum obturi oporteat ora, resorberi nequivit; effusionis exempla, ex cadaverum dissectione desumpta, minime huic opinioni favent: Nam diu ante mortem haemorrhoidibus vexati sunt ii quos cultro anatomico Praeceptor ill. exploravit, ideoque antea inhauriri debuit sanguis.

Si admitteremus autem, vel varicem, vel sanguinem in telam cellulofam effusum, tales tumores conficere, excoriatione foecum vel alia causa hos laesos, et sanguinem fundentes, statim semper omnino collabi oporteat, quod veritati minime quadrat. Anne sunt mariscae tumores phlegmonei generis ex laesione vel aliis causis inflammationem inducentibus orti; aut sarcomata, ex ruptis vasis determinatione sanguinis et materiei nutritivae depositione elongatis, nascentia? An priori opinioni suffragatur, quod nonnunquam suppurant, vel schirrosae et canerosae deveniunt, et posteriori, quod in  
aliis



aliis corporis partibus, præsertim laxiore structura gaudentibus, liberioribus et motui subjectis, post vulnera, vel vasis ex hæmorrhagia ruptis, excrescentiæ carnosæ sæpissime efformantur; ut in naso et utero, æque ac intestinum rectum hæmorrhagiis subjectis, frequenter accidit?

Annon sola sanguinis congestio vasa dilatans et elongans, in quibusdam casibus, hos tumores conficit? An huic arridet, quod in multis non nisi dum nixu exoneretur alvus constipata vehementiore prostant, posteaque retrocedunt? Intestinum rectum ex ano prolapsum, quod sæpissime hæmorrhoids sequitur, varie contortum, multorum tuberculorum faciem ostendit. Hæc sanguinis venosi per contractionem sphincteris remora, et sanguinis arteriosi propter irritationem determinatione, magis conspicua ut devenirent necesse est. Si vero diutius reductio intestini procrastinetur, tumores revera succedant inflammatorii, si cito reducatur intestinum, hi cito subsidunt.

An hæc omnes tumorum hæmorrhoidali-um sunt species? In multa caligine obvolvitur horum natura, et investigatio accuratior quam, quæ adhuc in usu fuit, ad eam explanandam requiritur. Aliquid tamen de hac re, quum fluxui hæmorrhoidali connectatur, necessarium dicere



cere duximus. Sed, quidquid horum tumorum naturave sit vel causa, persuasissimum mihi est, faepissime sanguinem ex vasis haemorrhoidalibus sine eorum interventione effundi, quod aliis de hoc morbo scriptoribus non admittitur; solam enim diversitatem inter haemorrhoidem incruentam et cruentam, tumores in uno casu sanguinem effundere, non in altero, dicunt. Sed quae in alteram sententiam me inclinant, sunt sequentia.

1mo, Exempla haemorrhagiarum in aliis corporis partibus, in quibus nullis similibus intervenientibus tumoribus evacuatur sanguis.

2do, Hujus cum aliis sanguinis fluxibus alternatio, quae ab iisdem causis pendere ostendit.

3tio, Saepe sine ullis symptomatibus praecurrentibus, et absque dolore, ejicitur sanguis, quod vix accidisset, si ulli tumores in recto extitissent.

4to, Causae occasionales, quarum pleraeque agere videntur vim arteriarum augendo et sanguinem in has partes advocando, haemorrhagiam sine tumoribus excitare sufficiunt.

ANNE ARTERIOSUS VEL VENOSUS PROFLUIT SANGUIS IN FLUXU HÆMORRHOIDALI? Ex physiologia discimus, quod, in aetate juniore, arteriae facilius



facilius quam venae comitantes distenduntur; aetate progrediente, compactiores et firmiores deveniunt arteriarum tunicae, dum venarum non in eadem ratione roborantur; ideoque, in certo vitae stadio, utrarumque robur aequivalebit, et in aetate provectiore illarum vis harum firmitati prae-  
pollebit. Abhinc inter plethoram venosam et arteriosam distinctio; haec in juvenibus, illa in senioribus, occurrens. Quapropter, facile intelligimus, cur in venae portarum systema, per quod tardior est circulatio quam in aliis corporis partibus, sanguinis congestiones senibus acciderent. Plerique igitur refluentem sanguinem ex venis haemorrhoidalibus effundi crediderunt. Praeterea autem, quod hoc legibus circulationis constantissimis, quibus versus cor per venas determinatur sanguis, opponit; si modo ex distensione rumpebatur vena, arteriosum sanguinem, qui venosam columnam antea urgere suffecit, certe ibi ruere quo data est porta, ideoque evacuari oportet. Non semper vero ex plethora venae portarum generali pendet hic fluxus: Saepissime enim tantummodo a locali affectu intestini ipsius procedit, ut alvo constipata, vel aliis causis quae, venas haemorrhoidales vel ramos ejus prementes, in his locis sanguinem congerunt, aut nixum egerendi



gerendi alvum fortiolem cientes, ad rectum sanguinem provocant. In hoc, ut in priore casu, sanguis arteriosus effundi nobis videtur. Nemo inficias ibit, hoc evenire cum fluxus ex aucto arteriarum in partem impetu dependet: Cum autem ex congestione venosa in loco nascatur, nulla ruptura, vel in extremitatibus venularum et arteriarum conjunctis, vel in venulis ipsis, accideret, ni sanguinis ex arteriis influxus sanguini in venis contraireret; ruptisque vasis ex arteriis majore vi quam a venulis retrogrado motu irruere sanguinem, ut illae vi muscolari, hae nulla, polent, necesse est. Ob causam eandem, cum ab excoriatione foecum solummodo oriatur, et tum arteriolas aequae ac venulas fauciari oportet, arteriosus sanguis dejicietur. Haemorrhoidalis fluxus ex locali affectu ortus, praesertim si frequenter recurrit, plethoram etiam generalem in junioribus systematis arteriosi inducat, quae haemorrhagiae arteriarum activae fundamentum jactat.

An unquam plethora arteriosa vel diathesis phlogistica haemorrhoidalem fluxum excitant, cum nulla sanguinis evacuatio ex causis intestino ipso applicatis praecesserint? Hanc quaestionem determinare non sufficiunt vires, ut alvi adstrictio, quae hunc fluxum movere valet, his corporis



poris temperamentis plerumque sociatur. Quomocunque hæc se habeant, sanguis arteriosus, potius quam venosus, in hoc fluxu evacuari dicemus.

Supra dictis rite perpensis, causa hujus morbi efficiens in vasis, nimia distensione sanguinis in recto intestino congesti, aut ab impedito versus cor motu, vi cordis arteriarumque eadem manente, aut ab impetu sanguinis per arterias subito aucto, progressum sanguinis per venas naturaliter tardiozem in eodem gradu accelerare non valente, aut ab his duobus conjunctis, disruptis; vel ab intestini ipsius vel tumorum hæmorrhoidalium excoriatione, petenda est. A fluidorum acrimonia vasa corrodente, aut ex *Diapedese* vel *Anastomose*, rarissime, si unquam, evenit.

### AN SALUTARIS EST FLUXUS HÆMORRHOIDALIS?

Ad hanc quaestionem determinandam, quae utilia ei adscribuntur primum, et postea mala ab eodem provenientia, enumerabo.

1. Summa in diminuendo plethoram ei additur utilitas. Certe omnis sanguinis evacuatio hanc pro tempore amovet, sed tantum est pro tempore.

Ex.



Ex lege etenim naturae, fluida qua nostra renovantur dispersa, cito eadem renascetur: Utque ex laxitate per depletionem inducta vasa majorem patiantur distensionem, novaque ex chylo semper fit sanguinis accessio; pars sanguinis, quae in naturali statu per varios ductus e rubris vasis exiit, donec haec ulterius distensionem finunt, per illas arctissimas vias trajicere vix credendum; ita plethora magnopere augebitur. Et, sanguine amisso intra datum tempus renovato, necesse est quoque ut in eodem tempore fluxus superveniat, vel ut periodice recurrat. Verum enimvero hoc rarissime evenit. Valde abnormis minimeque plethorae respondet. Absente ulla vasorum turgescencia accidit, et, cum adsit haec, iis etiam, qui fluxum antea passi sunt, non semper supervenit. Cur praeterea haemorrhoidi ad amovendam plethoram subnitamur, etiamsi quam maxime sublevaret? An nullum incommodum habet? Cur unum morbum alio mederi arcefferemus, cum alia auxilia et potentiora, neque iisdem malis stipata, in promptu sunt? Ad plethoram etiam praecavendam, laudibus effertur fluxus haemorrhoidalis. Sic "incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdin," cum ex ambobus forsitan evadere liceret. In hoc casu autem, ut ita dicam, ex  
Scylla



Scylla in Charybdin repercutitur. Nam, nulla licet plethora primæ sanguinis evacuationi anteierit, ex supra dictis manifestum est, hunc statum a fluxu ipso proventurum.

2. Maniacis, \* melancholicis, ischiaticis, hypochondriacis, et arthriticis, saluberrime accidere dicitur. Neque negaverim, quoad plethoram diminuat vel diathesin phlogisticam arceat, aliquid allevamenti in his casibus et nonnunquam morbi solutionem afferre. Luce autem meridiana clarior apparet, quod, quicquid boni pro tempore afferat, plethoram postea augendo hos morbos in pejus rapiet. Multa nihilominus exempla ejus in iis morbis-utilitatis, quæ ab auctoribus relata colligo, potius contrarium ostendunt. Quoniam illa mala ex hæmorrhoidæ suppressa oborta sunt, hanc ab illis custodire corpus aiunt. Quo nil fallacius. Si suppressio hujus evacuationis tales effectus excitare queat, fluxus ipse certe illis quoque disponit. Nam, si nunquam accidisset, nunquam suppressus esset, nec illi morbi ex suppressione supervenissent. Verno tempore sanguinem per multos annos amittere, sanissimus etiam, assuetus, si uno Vere neglexerit, plethora indeque ortis malis corripitur. Pro medela illorum, an causa in hoc

C

casu ;

\* Vide Hoffman de salubritate fluxus hæmor. vol. vi.



casu venaesectio est consideranda? Certe pro causa; neque minus haemorrhoidalis fluxus morborum ex suppressione ejus orientium est agnoscendus.

3. Hippocrates notavit \*, quod “ Haemorrhoidibus laborantes, neque pleuritide, neque pneumonia, neque furunculis, afficiuntur, forsitan quoque neque lepra,” &c. Bene additur huic postremae forsitan, et si his verbis significari vult, quod illi, qui de fluxu haemorrhoidalis salubritate tractantes ejus auctoritati appellavere, intelligunt, aequae bene mea sententia omnibus subjungeretur. Facile crederem equidem his, vel saltem duobus prioribus, dum fluit a vasis haemorrhoidalibus sanguis, vacare corpus: Cum vix quicquid tales morbos suscitare valeat, quod non eodem tempore haemorrhoidem quoque susciteret. Non itaque, ut illi ne ingruant, obstat haec evacuatio. Annon aequae causis occasionalibus illorum morborum ii, qui hac laborant, sunt obnoxii; immo non magis, omni sanguinis evacuatione summam irritabilitatem inducente, exponuntur? Postea dicit medicinae Pater, “ Intempestive sanati frequenter talibus morbis facile corripiuntur.”

\* Pop. lib. vi. sect. iii. circa finem.



“untur.” Has voces sensum quem ex praece-  
dentibus extrahere voluerunt fluxus haemorrhoi-  
dalis fautores confirmare putant. οὐτως οὐδὲν ta-  
men subnectit divinus senex. At illi dicant per  
οὐτως intelligendum esse, non quod in seipso per-  
niciosus est fluxus, sed tantum quoad intempe-  
stive curatur. Faxis autem, hanc fuisse senti-  
entiam Hippocratis, fluxum haemorrhoidalem ab il-  
lis morbis custodire corpus, quoniam suppresso  
illi morbi supervenissent. Hujusmodi argumen-  
tationis, ex sectione praegressa, apparet futilitas at-  
que levitas. Certe noxius est fluxus, qui tam  
facile a causis occasionalibus, quibus nos obviam  
ire nequimus, suppressus, tam gravibus malis  
occasionem dat.

4. Nephriticis \* et calculosis suppetias affert  
haematuriamque tollit, testantibus Hippocrate et  
aliis. Nephritidem haemorrhoidalem solutam, quae  
nulla phlebotomia, nulla purgatione, potuit levari,  
meminit Hollerius; et bene notum est, omnes hae-  
morrhagias in morbis inflammatoriis magnum  
allevamentum aegro afferre; sed, quicquid com-  
modi ab his in praesens derivetur, non sunt mor-  
borum

\* Vid. Hoff. sect. 9. et 10. de usu fluxus haemor-  
rhoidalis, vol. 6.



borum praecavendorum causa promovendae; nam potius ad eosdem plethoram augendo disponent; quod aequè de haemorrhoidè verum est.

In calculo, plerumque alvo adstricta conjuncto, sua mole venas premente et nervos irritante, ad vasa haemorrhoidalia novo impetu ruit sanguis, et in iis accumulatur: Recto antea foecibus distento, et sanguine nunc turgido, difficilior redditur omnis ad exonerandam alvum conatus, maximeque aggravatur dolor: Nec mirum, cum tanta fuisset irritatio et inflammatio, si, post evacuatam foeces, sanguis effluens aegro maxime sublevaret. Quandoquidem vero calculus chronicus est morbus, in omni recurrente paroxysmo rursum opus erit fluxu, et sic duobus pro uno gravabitur aeger malis. Cum vero in hoc casu plerumque venter durus sit, nonne eadem doloris remissio cathartice et enemate lenibus aequè facile obtinetur?

De sanguinis mictu assentior equidem, unam haemorrhagiam alteri, at praesertim vicinae, saepe supplere: Cumque haemorrhoidi desinenti haematuria supervenisset, tunc illam recurrere melius foret; quoniam evacuatio cui assuetus est homo commodius ferri potest, sed vix aliter.



5. Sanguinis profluvium ex vasis hæmorrhoidalibus hydropem et tabem præcavet, inquit Hoffmannus. Quas vero rationes pro hoc judicio proponit? Omnes quas video ex his morbis a suppressione ejus ortis petuntur: “Hæmorrhoides fanata, si diutius antea perstiterit, nisi una servata fuerit, periculum ne hydrops vel tabes supervenerit,” ait Hippocrates, Sect. vi. Aph. xii. Hydropem ab obstructione hæmorrhoidum productam fuisse, auctor est Joh. Rhodius, cent. 3. obs. 5. item Frider. Lossius, lib. 3. obs. med. 26. Quod ad phthisin attinet, refert Amatus Lusitanus, cent. 5. curat. 3. quibusdam huic evacuationi assuetis sanguinem sine tussu per os subluisse, hæmorrhoidibus apertis desuisse. Riedlinus, obs. med. 360. hæmoptysin, ulcus in collo, vesicæ tabem, mictionem cruentam, et denique mortem, ex hæmorrhoidum suppressione. Galenus quoque, cap. vi. de venæsectione, adversus Erisastratum mentionem facit hæmoptyses et intercostalium inflammationem propter hunc fluxum cessantem. Absit factis jamjam enumeratis contradicere; nego tamen hæc fluxus hæmorrhoidalis utilitatem demonstrare. Quomodo hydropem præcavere potuerit, admiror equidem: Nam certe omnis sanguinis evacuatio, et hæc,  
non



non aliis minus, fluidorum serofitatem, solidorum laxitatem, et hinc serofas, vim absorptionis superantes, inducit effusiones. Idcirco ad hydropem directe et dūcit, eodemque tempore praecavet haemorrhoids. Quo nil absurdius. Cum vero haemorrhoidi prohibitaē supervenerit hydrops, hujus etiam, ut aliorum morborum ex hoc fonte occurrentium, causam praedisponentem dici oportet hunc fluxum. Similiter sanguinis sputum, ex hoc profluvio obstructo oboriens, a fluxu ipso quodantenus pendere diceremus. Et cui, haemorrhoidibus apertis, desit sanguinis sputum, antea evacuationi haemorrhoidali illum assuetum fuisse invenimus; quapropter non possum quin credam hanc suppressam illis occasionem dedisse. Qui igitur illud sputum in posterum praecavere potest haec evacuatio, nisi ejus suppressio quoque, quod impossibile, praeveniatur? Aliud est morbum in praesens remove, aliud in posterum praecavere. Sed hoc tantum est prioris exemplum, cumque ex fluxu represso provenisset. Pari ratione contra arthritidem custodire diceremus intemperantiam: Quoniam subita abstinentia in iis qui laeta vita usi sunt eam inducit, cumque ex hac causa oritur podagra, generosior diaeta paroxysmum breviorē et mitiorem reddit.

6. Hunc



6. Hunc fluxum valetudini fenum infervire et ad longaevitatem ducere, quando ferius subit, ponit Junker. Non equidem intelligo quo modo fenum valetudini conferat, nec ipse ostendit. Annon, quandoquidem fenilis est affectus, pro causa fenii, quae pro effectu potius est agnoscenda, hanc evacuationem habuit?

INCOMMODA hujus fluxus multa variaque sunt. Praeterea enim, quod maximus dolor comitatur, si in magna copia fluat sanguis, summam debilitatem et syncopen inducat; in hydrope, cachexia, et denique lenta hectica, terminet, et, si quando usu confirmatus supprimatur, quod saepissime accidit, omnibus plethorae succedentibus morbis ansam praebet. Cullenus praeceptor inter sexagesimum et septuagesimum annum fere semper sistere, et tunc non raro paralyfin vel apoplexiam inducere, observat. Et, in mea opinione, omnia mala quae ex suppressione ejus oriuntur, si a systematis necessitate non provenerint (quod, de novem ex decem haemorrhoidis casibus, ex foecibus in alvo diu retentis originem ducentibus, verum) fluxum ipsum, quod antea ostensum, pro causa disponenti agnoscunt. In hoc loco forsitan memoratu dignum est, quod mariscae vel tubercula



cula sanguinem effundentia, quibus igitur cum hoc fluxu nexus est fere inseparabilis, schirrosa vel cancrofa deveniant, aut suppurantia in fistulas ani abeant.

Ex supra memoratis fatis evidenter apparet, utilitatem hujus evacuationis laudes quibus efferatur minime mereri, plerisque exemplis, salubritatem ejus ostendere putatis, plane repugnantibus: Et, etiamsi in quibusdam morbis alleviationem symptomatum afferat, tamen non modo non ab iis corpus in posterum custodit, at potius iisdem magis obnoxium reddit; ideoque alio modo iis praevenire nequimus, quam hic fluxus ne occurrat cavendo. Quando igitur non ex alio corporis malo affectu, sed ex causis accidentalibus in intestino ipso positis, ut plerumque oriatur; et etiam cum ex aliis morbis dependeat, si aliter plethora praecaveri possit, nulla mala suppressioni ejus imminetia video. Omnes enim corporis mali affectus, huic fluxui arte cohibito succedentes, ex usu astringentium liberiori plethora non aliter refrænata provenire verisimile est.



## METHODUS MEDENDI.

Quoniam fluxum præsentem compescere in plerisque casibus impossibile, et in multis perniciosum, ad repetitionem hujus præveniendi rationem tantum me ipsum accingam.

In hanc finem duæ præcipue indicationes sese offerunt.

1mo, Plethora cum adsit removenda, et in posterum præcavenda.

2do, Omnia quæ rectum intestinum irritant, et sanguinem in hanc partem advocant, sunt evitanda.

Primæ indicationi inserviunt: 1mo, Venæsectio; vix autem usurpanda, nisi signa morbi instantis adsint in robustis et diathesi phlogistica gaudentibus; quoniam ad hanc ipsam vasorum plenitudinem quam maxime confert.

2do, Diaeta vegetabilium et lactis iis qui antea carne victitavere.

3tio, Exercitium. Hoc agit secretionem augendo, copiam igitur circulantis sanguinis minuendo, et tonum systematis totius firmando, quo minus distensione cedunt vasa. Equitatio non aequè prodest, mea sententia, ut ambulatio: Cum illa sanguinem, ex concussione, et corporis positione arteriam femoralem comprimente, ad par-



tes affectas advocat, et in multis alvum duram reddit, et saepe morbo occasionem dat: In vehiculo gestatio, quibus saepe recurrit morbus, mea opinione, huic est anteponenda. Sed quae ab omnibus exercitii generibus praeripiunt palmam sunt ea quae extremitates superiores, si non violentius, exercent, ut sanguinem in has partes derivent, et ad rectum determinationem praevertant. Morbo autem instante, omne exercitiationis genus fugiendum, et recumbens corporis positio est praescribenda.

II. Indicationi convenit, causas occasionales vel praesentes amovere, vel ut ne occurrant providere.

Ut alvi constipatio horum sint praecipua, ante omnia haec nostram meretur attentionem. Huic obviam ire cathartica lenissima, ut manna, sulphur, cremor tartaris, oleum refinii, nonnullis oleum amygdalorum in magna copia utuntur. **D**ua remedia prostrema, praesertim oleum commune, minus <sup>convenientia</sup> ~~periculosa~~ videtur, ut cruditates in ventriculo excitare possint. Si magna sit adstrictio, et ad exonerandam alvum fit stimulus, magisque si mariscis laborat aeger, mitia enemata olei lactive sunt danda. Sed, prae omnibus, id victus genus quod ventrem solutum tenet adhibendum:



bendum: Quandoquidem leniora purgantia diu usurpata non votis respondent, nisi in dosibus majoribus exhibeantur quam impune ferre queat ventriculus. Cibus qui ad hanc intentionem quadrat, et eodem tempore plethoram arcet, sunt fructus maturi, et radices foliaque vegetabilium succosa. Non parvi est momenti, quodque a plerisque auctoribus praetermissum fuit, ut copia cibi satis ampla sumatur: Cum defectum hujus supplere conatur natura, eandem nutrimenti quantitatem quae ex majore solita fuit extrahendo, ad longiorem assimilationem eum diutius retineri necesse est, et, parte fluidiori absorpta, constipationem pertinacissimam exinde provenire oportet. Morgagnus hujusce rei dedit exemplum in homine, qui alvum per sex dies summa abstinentia habuit clausam, cuique, hoc tempore elapso, ventrem summa dolore et labore exoneranti haemorrhoids superveniebat. Ex supra dictis manifestum est, cur diaeta minus nutriens quam qua antea usus est aliquis, alvum ejus solutam reddit: Cum majorem hujus copiam sumere impellatur, ut debita materiei nutritiae proportio adsciscatur, intestina hoc modo satis distenta ad contractionem exstimulantur, et detrudatur quod nutritioni inaptum, ut alimentum e novo ingeratur.



ratur. Ingesta vero fatis diluenda sunt, aliter tardius concoquuntur, et in primis viis morantia alvum occludunt.

Cum mariscae hujus fluxus fundamentum jaceant, ope manus chirurgicae sunt nonnunquam extirpandae.

Anne astringentia vel opiata in auxilium sunt vocanda? Rarius vel nunquam, nisi maximum sit profluvium, et parcissime sunt utenda.

F I N I S.

**MED. CHIR. SOC.**  
**ABERDEEN.**